

Johann Quistorp

**Programma Rectoris Academici, Johannis Quistorpii, D. Theol. Facult. Senioris.  
... Quo ad eundum Exequias. Viro ... Joachimo Lindemanno, Ad D. Mar.  
Archidiacono quondam meritissimo ... a Vidua Moestißima Eva Goldsteins ...  
hodie solemniter parandas Omnia Ordinum Cives Academicos invitat die XIV.  
Decembr. Anno M.DC.LXIX.**

Rostochii: Kilius, 1669

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/pnn770672973>

Druck    Freier  Zugang







Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn770672973/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770672973/phys_0002)

DFG



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn770672973/phys\\_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770672973/phys_0003)

DFG



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn770672973/phys\\_0004](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770672973/phys_0004)

DFG

PROGRAMMA  
Rectoris Academici,  
**JOHANNIS  
QVISTORPII, D.**

ΘΕΟΛ. Facult. SENIORIS. & Past. Dom.



Quo  
ad eundum  
*EX EQUIAS.*

VIRO Admodum Reverendo atq; Amplissimo  
B. DN.

**JOACHIMO  
LINDEMANNO,**

Ad D· Mar. Archidiacono quondam me-  
ritissimo, Du. Collegæ nostro desideratissimo,

*à Vitudine Mæstissimâ*

**EVA GOLDSTEINS,**

Matronâ virtutibus splendidissimâ

hodiè solemniter parandas

**Omnium Ordinum Cives Academicos**

invitat

die XIV. Decembr. Anno M. DC. LXIX.

ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILIUS Universitatis Typogr.



IMMANUEL!  
RECTOR ACADEMIÆ  
D. JOH. QVISTORPIVS,  
ΘΕΟΛ. Fac. SENIOR, & Past. Dom.



Nluctu vehementissimo totam parochiam Marianam, & domum sacerdotalem LINDEMANNIAM versari, nemo est qui inficiabitur; siquidem vident venerabilem Presbyterum D.N. JOACHIMUM LINDEMANNUM, virum à concionandi donis præ reliquis Rostochii commendatissimum & Patrem familias ornatissimum, ad sepulchrum efferri. Quo enim major est parochialium, & domesticorum erga Pastorem, ac Maritum & Genitorem, amor, eo vehementior est hæc inflcta plaga. Moderarit tamen luctui ut omnes pios decet, ita & de mœstissimis hisce omnibus, idem nobis promittimus. Quæ ipsi, & juxta cum illis pñ læpè experiuntur, cum impiis & spem non habentibus communia sunt infortunia:

tunia; quos ut calamitates conjungunt, ita in iis super-  
randis animus distinguit. Quum enim, ut Augustini  
verbis (quem in literis Hieronymus appellat Domi-  
num suum verè sanctum & beatissimum Papam) de-  
C. D. l. i. c. 8. utar; quicunque boni & mali pariter af-  
flicti sunt, non ideo ipsi distincti non sunt, quia distinctum non est; quod utrique perpessi sunt. Manet e-  
nim dissimilitudo passorum, etiam in dissimilitudine  
passionum, & licet sub eodem tormento non est idem  
virtus & vitium. Nam sicut sub igne aurum rutilat, pa-  
lea fumat, & sub eadem tribula stipulae comminun-  
tur, frumenta purgantur. Nec ideo cum pleo amurca  
confunditur, quia eadem præli pondere exprimitur;  
ita una eademque vis irruens, bonos probat, purifi-  
cat, eliquat: malos damnat, vastat, exterminat. Ua-  
de in eadem afflictione, mali Deum detestantur, atq;  
blasphemant, boni autem precantur & laudant. Tan-  
tum interest, non qualia, sed qualis quisque patiatur.  
Nam pari motu exagitatum & exhalat horribiliter  
coenam, & syaviter fragrat unguentum. Agere id hos  
mostissimos, Dn. Kidumnum, Orphanis, Venetandum  
Dn. Scecumnum Dp. Affinis atq; Cognatis, filios cum  
filibitis spiritualibus, plane confidimus. Dum enim  
xiva Ecclesiæ membra hoc tempore Iesu in ascensi re-  
colunt memoriam, de renascentia post mortem fir-  
mam congerunt fiduciam. Hinc verè pii, & ipsi in-  
trepidè mortem cum Simeone expectant desiderant,

-5102

&

& suos morte hinc sublatos, moderatè lugent, scientes  
& se & suos per & propter Jesulum fidei ulnis suscep-  
tum, cordique firmiter inclusum, nequaquam fore ex-  
hæresimos, quin reparandos, viti inferendos, in vitam  
quam mors nulla excipiet, reponendos. Quæ cùm  
omnium piorum spes sit, non potestis, o mæstissimi, i-  
dem de B. DN. JOACHIMO LINDEMANNO hinc  
œctiduo vobis nobis sublato, non sperare. Salvatori  
nostro recens dum natus fuit eminentissimorum pa-  
rentum curâ per SS. Baptismatis lavacrum fuit insitus,  
(argumento rei est ipsum JOACHIMI nomen, quod à  
Proavo & Abavo B. JOACHIMO Krohnen / & B. JOA-  
CHIMO Hahnen / hæreditarie gessit) hunc per inte-  
grum vitæ spatium constanter professus, morte isthâc  
ab eodem separari posse, apage putetis. Quem dedit  
Salvator providus repetit; quem extrusit cælestis Ar-  
chipresbyter recepit, quamque sanguine suo lavit ani-  
mam, in omnium reparatione cum corpore commu-  
ni hodie matri commendando conjunget. Conjun-  
ctus ipse modò B.Dn. Parenti THOMÆ LINDEMAN-  
NO: JCto dum in vivis esset celeberrimo, Professori P.  
Vrbis hujus Syndico, multorumque Ducum S. Rom.  
Imperii Consiliario gravissimo, cui præ cæteris hâc in-  
vitâ dilectus, quippe qui singulare quid defiliolo hoc  
suo ab ipsis statim ævi sui fudimentis sibi fuerat polici-  
tus, dum in consignatione illius diei, quo à matre ELI-  
SABETHA Hahnen / fœminâ omnium virtutum de-  
cora-

coratissimā, in hanc lucem feliciter fuerat editus, (qui  
ipsi contigit XXIV. Augusti, Anni Æ. C.M.DCXVII.)  
animum suum his pater prodidit verbis: *Indoles in puer-  
lo hocce, ab infantia emicuit singularis, Jehova eum ado-  
lescere ex crescere clementer sinat.* Conjunctus Avis  
honestissimis, Paterno B. HENRICO LINDEMANN-  
NO; civi Hervordiensi primario, Materno B. BERN-  
HARDO HAHNEN, hujus urbis Patricio florentissi-  
mo: Aviis lectissimis, paternæ B. ANNÆ Kirchhoffis/  
maternæ B. ELISABETHÆ Klingen. Studiorum  
moderatoribus Peregriniis; Professoribus Celeberri-  
mis; Collegis, cum quibus in vineâ Domini concordi-  
ter laboravit, devotissimis; Auditoribus, quos fideliter  
pavit, pientissimis; Conjugi priori ac liberis quos præ-  
misit, suavissimis; tot cognatis atque amicis, cum qui-  
bus familiariter vixit, integerrimis; universis sancto-  
rum cœribus fulgidissimis. Conjunctus, inquam, his  
est, ac perjucundo iplorum fruitur colloquio, quin ad  
Angelorum consortium translatus, in cœlesti nunc A-  
cademiâ sapientiae reconditionis fontibus inebriatur  
cotidiè, ac pœana redivivo Christo sine fine cantat.  
*Vos, o mæstissimi, istas delicias, tantamque felici-  
tem viro invidebitis;* Cæterum nos paucis adhuc, in  
hujuscemodi commentationibus fieri quod censue-  
vit, Vitæ curriculum B. DEFVNCTI exsequemur.  
Cum B. Dn. JOACHIMVS LINDEMANNVS opti-  
ma studiorum fundamenta, sine quibus qui ædificat,  
quic-

quicquid superstruitur, corruit, jam in Patria fecisset,  
Præceptore cum primis Dn. M. HENRICO VULPIO,  
tunc hujus classicæ, post Revaliensis Scholæ Rectore,  
cui post mortem B. Dn. PARENTIS (cui ipse annos  
natus quindecim, jam tūm summo cum applausu pa-  
rentaverat) exactius præparandus fuerat traditus, con-  
silio Viri Excellentissimi & Consultissimi Dn. D. JOA-  
CHIMI SCHNOBELII, P.P. hodiè Syndici Sedinensi-  
um benē merentissimi, quo tunc postremo studiorum  
trivialium Moderatore utebatur, G R Y P H I S W A L-  
DIA M primū concessit, ibidemque non unī magna  
pars Juvenum, in occulto latitavit, vel in utilibus aut  
otio deditus fuit, sed Lectiones tūm publicas, tūm  
privatas magnā sedulitate frequentavit, amicitiamque  
virorum Maximè Rev. Dn. D. BATTI, Pomeraniae Su-  
perintendentis gravissimi, & B. Dn. D. BERINGII sibi  
comparavit. Biennio ibidem feliciter transacto in  
Patriam Anno 38. currentis seculi reversus, Linguarum  
Orientalium studio præ cæteris operam navavit se-  
dulam, ad quarum adyta facile æquè ac feliciter di-  
rectore Viro in istis studiis insigniter Excellenti B. M.  
SAMVELE BOHLO P.P. penetravit. Cum verò ali-  
arum etiam Academiarum amore flagraret, Anno 40.  
Ad IVLIAM invisit, ubi studiorum gnauitatem, publi-  
cèque habita Disputatione Theologicâ facile Dn. Dn.  
Professorum familiaritatem, omniumq; Literatorum  
favorēm sibi conciliavit. At non diu ipsi ibidem sub-  
sistere

sister contigit sed in patriam redire jussus, ædibus atq;  
convictu B. Parentis nostri Dn. D. Q. non sine præclaro  
studiorum suorū emolumento, utebatur. Hinc à B. Dn.  
D. THOMA LINDEMANNO fratre ipsi Germano in  
Danorum Fioniam accessitus, Nobilium puerorum  
generosi Dn. Falconis Goë filiorum studio præficerba-  
tur. Cui provinciæ cùm per annum laudabiliter va-  
caret, ægrè à Nobilibus dimissus, quippe quis singula-  
ri morum suavitate insignis erat, precibus Dn. D.  
GLOCCINII JCti & Lubecensium Syndici optimè  
meriti Lubecam se liberorumque prædicti JCti curam  
in se recepit, qui Hunc Nostrum uti semper amore  
amplexus, ita non ita pridem novis honoris atq; amo-  
ris officiis prosecutus est. Lubeca singulari Numinis  
instinctu in Patriam rediens, Venerandum Virum  
Dn. M. ELIAM TADDELIVM sibi elegit amicum,  
cum quo & familiarissimè vixit, & sub ejusdem Præsi-  
dio Disputationem publ. super Genes. c. 49. defendit.  
Donec factum ut Anno 43. prædicto B. Dn M. TAD-  
DELIO Amstelodamum avocato, piè defunctus noster  
Deo ita annuente ad Ecclesiam Petrinam legitimè vo-  
caretur, confirmaretur, atque ita muneri Ecclesia-  
sti co præficeretur. Præfectus spartæ illo ipso anno  
matrimonio sibi copulavit virtute præstantem virgi-  
nem ELISABETHAM viri integrissimi B. HENRICI  
GEISMARI Templi Cathed. præfecti, & fœminæ  
honestissimæ B. MARIE GERDES filiam dilectam,

ex

ex quâ binos progenuit filios, qui tamen illicò à partu si-  
mulac perversum hunc salutaverant mundum, eidem  
rursus valedixerunt, queis mox itineris sociam se se-  
præbuit mater, Anno 47. elata, illo ipso die quo qua-  
triennio ante Nuptiarum festivitatem celebraverat  
nostrumq; hunc viduum reliquit moestissimum. Per  
sesquiannum B. LINDEMANNVS viduus secundis  
auspiciis secundas iniit Nuptias cum pudicâ ac piâ  
tunc virgine EVA GOLDSTEINS, nunc vidua tri-  
fissima, Viri Plur. Rev. & Ampliss B. DN. JOHANNIS  
GOLDSTEINS, Superintendentis optimè meriti &  
honestissimæ matronæ B. DOROTHEÆ AL-  
WARTS, relictâ filiâ, qua cum suaviter transmisit  
integros 20. annos & VII. Menses, ditatus octonâ so-  
bole, quot filii, tot & filiabus, ordine sese ita excipi-  
entibus: Virgo MARIA ELISABETHA, JOHAN-  
NES JOACHIMVS, DOROTHEA MARGARE-  
THA, THOMAS ALBERTVS, EVA, DOROTHEA  
AGNETA, JOACHIMVS, JOHANNES. Ex qui-  
bus modò filiæ binæ, virginæ præclaræ virtutis MA-  
RIA ELISABETHA, & EVA & unicūs filius  
JOACHIMVS itidem præclaræ spei puer, quem  
ego è Baptismi fonte suscepi, cui supremus Pa-  
ter spiritum patris duplē largiri dignetur, super-  
stites, abitum Patris lugent miserabiliter. Quinque  
cæteri in ipso ætatis flore Parentem anteverentes, cœ-  
li palatia condescenderunt. In officio Ecclesiastico singula-  
ribus præ cæteris Hic Noster cencionandi donis à Deo  
erat

erat instructus, cum primis auditorum animos permo-  
vendis facultate, hic non suos tantum Petruos, sed &  
totam urbem, imo ex peregrinis locis in sui amorem  
pellexit. Stadenses certe donis viri moti, ad se rrahe-  
re suos; Templo D. Cosmi & Damiani legitimā trans-  
missa vocatione p̄ficerē nulli dubitarunt, quam ta-  
men vocationem amore Patriæ, cui præ ceteris se de-  
bere arbitrabatur, modestè declinavit. Accidit illo ipso  
tempore certantibus inter te de viro visis patria cuni-  
peregrinis, ut a Petrus quorum curam spiritualem ro-  
tos XIX annos fideliter gesserat, ad Archidiaconatum  
Marianum justa antegressa electione & confirmatio-  
ne translocareretur. Quia vero diligentia, quae sine carita-  
te Ecclesiæ Christi interficeret, ut summō Viris Domino,  
Ecclesiæq; optimè notum, ita hīc multis recentere su-  
pervacaneum esse ducimus. Idem judicantes ac omni-  
bus iis christianam ejus vitā quæ spectant, quippe uni-  
versis in confessio. Quæ tamen omnia Dn. Confessiona-  
rius ejus Vir Adm. Rev. Dn. D. HENRICUS MULLE-  
RIUS ad D. Mar. P. & P.P. Dn. Collega noster honoratiss.  
pro concione funebri sine dubio pluribus in apricū  
producat, & ut meruit Virum concelebrabit. Quō  
etiam cupidum Lectorem remittimus. Superest Mors  
ejus dicenda ac corporis à morbo debellatio: Hanc vero  
graphicè depinxit Vir Excellentiss. DN. D. JOHAN-  
NES BACKMEISTERUS, Medicin. Prof. Publ quem  
nunc operantem audiems, Verba ejus hæc sunt:  
*B. m. a. m. p. m. Quadri-*

Quadriennium sere est, & quod excurrat, ex quo Vir Admodum Re-  
serendum & clavisimur Dnus JOACHIMUS LINDEMANNUS, Ar-  
chidiiconus Marianus quondam vigilansissimus, Affinis & Amicus  
meus honoratisimus, conjunctissimus, Confessionarius eius! deside-  
ratisimus. Calculo primùm Renum, postmodum verò malo, Literatius  
& solitariam vitam degentibus familiarissimo, Arabibus Miracbia  
dicto, affectione sc. Hypochondriacà, que filium suum Scorbutum verò  
πολύωρον, nobisq; qui in his septentrionalibus & maritimis vi-  
vimus locis quasi endemium secum simul in scenam producebat, lao-  
borare cœpit. Quibus nunc quamq; gravissimis ab eo tempore Vir  
hic præstantissimus incommodis ac Symptomatibus exprioribus illis  
radicibus propullulanteis divexus sit, præ mærore animi vix verbis  
exprimere licet. Modò enim de dolore tum pectorio tum gravativo.  
Capitis, modo de Cordis palpitatione, pectoris angustia, respiratio-  
ne difficultate ac suffocationis periculo, modo de inflatione ventriculite-  
sioneq; hypochondriorum ac preprimis lateris sinistri, modo de appre-  
titu planè prostrato, singultu, ructibus nausea & inani evomendi co-  
natu; modo de Vomitū ipso & Colica passione; modo de Dorsti dolore,  
Renum inflammatione, Urine tum suppressione, tum stitlicidio, tum  
deniq; ejus mictione cruentâ, modo de artuum tremore, pedum intu-  
mescientia, totiusq; corporis habitu cachectico conquebatur. Pugna-  
bat equidem cum his agrotis noster adhibitis remedis exqui-  
sitissimis strenue, & videbatur eum interdum abiecisse plane: Sed  
ut Anteus quispiam virescebant semper & resurgebant. Nutritio  
quippe plane erat depravata tum à summâ virtutis orum humorum collu-  
tie, in vasis Lacteis, Vena portae splenico & mesenterico, ut & arte-  
riarum coeliaca, splenice & Mesenterica ramis maximam partem  
verò Pancreate stabulante, tum à lymphâ acriore, seroiore magisq;  
crassa. Unde & maxima Viscerum debilitas totiusq; corporis lassitudo  
proximè precedentibus se permanens illum invadebant, que comitem  
habebant Febrim erraticam scorbuticam cum Angina, faucium aspe-  
ritate ac siccitate. Situs erat intolerabilis, & somnus plane interra-  
dens ita ut ne quicquam levamini exinde persentisceret. In Consi-  
lium

lium vocatus & mecum Collega meus conjunctissimus DN. SEBASTIA-  
NUS WURDIGIUS, P.P. Specificis cordalibus ac antifebrilibus nec  
non putredint internæ resistentibus tenetavimus naturæ succumbentis  
succurrere, atq; illa morborum agmina, que turmatim quasi incedere  
ing; corpus hoc jam emaciatum impetu quodam irruere videbantur,  
debellare: Observavimus etiam interdum mutationem aliquam in  
melius. Nam ante octiduum Naturæ alium sponte cire velle visa est,  
undespes nova restitutionis sublucebat, movebat etiam, sed nihil pro-  
movebat, nibilque levaminis inde percipiebat ager. Hinc quoq; fa-  
ctum, quod sp̄reto omni Medicamentorum apparatu, omni studiū ad-  
stantium curâ ac sedulitate, labientibus sensim viribus capti  
ac manibus tremulis placide in Domino obdormierit, maximum  
nobis suis desiderium relinquens Vir longiore vitâ dignus.  
Hactenus ille, Vera autem ejus uti semper, sic triumphante pot-  
tissimum morbo & constans diluxit patientia, virtus Christiano  
maxime digna. In votis quidem habuit, si Domino ita foret vi-  
sum, Parochiæ domuiq; suæ diutiùs hîc interesse ac præfse: quod  
quis Christianus facile cum ipso optasset; hâc ipsâ tamen vo-  
luntatem suam ad divinam placide aggregavit, æquo suscipere  
paratus animo, quicquid de se patris coelestis statuisset sententia.  
Cum primis verò B. *Defunctus* durante morbo, gratioſissimâ no-  
ſtri in filios Dei adoptione, glorioſissimâque è terra pulvere re-  
fusciſatione languentem erexit animum. Pridie obitus ejus,  
quæ erat feria secunda, dies hujus mensis VI. cum vires morbi  
invalescere, corporis verò evanescere ipſe perſenticeret, ſpiritu  
contrâ fortiorem ſe ſe reddidit. Hinc cùm à Venerando Dn. So-  
cero Viro Admodum Rev. Ampliss. deque Ecclesiâ meritissi-  
mo, Dn. M. REMBERTO SANDHAGEN ad D. Nic. Past. Rev.  
Min. Seniore & Collegâ nostro plurimum honorando, (a quo  
filii instar naturalis intimè dilectus, quem & ipſe pè defunctus  
genitoris instar ſemper obſervavit, quemadmodum & Dn. Dn.  
Affines, Reverendum Dn. HENRICUM SLUTOVIUM, ad D.  
Nic. Ecclesiast. & Coll. & Venerandum Dn. GOLDSTEINIUM  
Ecclesiæ,

Ecclesiæ Scharentinensis Pastorem vigilantissimum non aliter ac fratres gen  
manos colebat) in memoriam dicti Jobini c. 19. perduceretur, singulari  
animositate in hæc erupit verba: *Er wird stehen über meinen Staub*, additâ  
*verbis* animi affectum in primis declarante: *o schöne Wort!* Cum præterea  
mentio fieret verborum D. Pauli Phil. 3. *Qui reformabit corpus humilitatis no  
stræ, configuratum corpori claritati sue*, vel, uti Luth. dicit *unsern nichtigen Erb  
vœlareni wird* &c. eleganti similitudine à vitro desumptâ fidem suam cunctis  
præsentibus declaravit. Accersitus post ejus Confessionarius Vir Pl. Rey &  
Ampliss. Dn. D. HENR CUS MOLLER US, ad D. Mar. P. & P.P. Collega  
noster singulariter dilectus, amico colloquio æternæ gloriae prægustum ipsi  
propinavit. *Quo factum*, ut post abitum ejus integrum noctem precibus &  
hymnis transegerit, usq; dum campana de mane signum orandi daret, quo  
audito tñà cum adstantibus preces ad Deum fudit ardentesissimas. Quibus fin  
itis rursus accessit Dn. Confessionarius ejus, qui octiduo ante divino epulo  
animata ejus refocillarat, animo uunc medicinam solando afferens certissi  
mam. Deniq; cùm finem hujus vitæ ipsi appropinquantem omnes viderent,  
chara se se ei obtulit conjux, quo vero animo, cuivis promptum colligere, an  
xiè sciscitans: *Utrum etiam se suosq; liberos Deo ac Domino suo meliore de  
notâ commendasset?* ad quæ reposuit h. v. *Jesu wird euch dñe* Hinc pau  
latim se se subrahentibus omnibus viribus anima absq; ullo ferè mortis sen  
su placide è domicilio suo hoc terreno evocata, beatissimum migravit Olymp  
um, ineffabiliter tradita lætitia. Postquam in corpore deserta hujus mundi col  
auerat annos LII. Mens. IV. ad VII. Mensis Decembri, circa hor. I. pomeridianam.  
O felicem animam! quæ terreno resoluta carcere, libera cœlum  
petuit, quæ te dulcissimum Dominum facie ad faciem cernit, quæ nullo me  
nu mortis afficitur, sed incorruptione perpetua gloria lœtatur, tranquilla  
est atque secura! Huc huic transpicite O mastifimi, ac luctum temperate.  
Vos autem cujuscunque ordinis ACAD M. COS, qui dona viri hac tenus  
mirati estis, ad frequenter eundum Exequias, Venerando Presbytero hodie  
parandas, ea quæ par est humanitate invitarem, nisi omnes sponte id  
facturos, pietatemque eo ipso declaratueros,  
plane considerem.

P.P. Rostochii sub Sigillo Rectorali d. XIV.

Decembr. Anno M. DC. LXIX.

Convenietur in Aede Mariana hora I. pomeridianâ.








Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn770672973/phys\\_0018](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770672973/phys_0018)

DFG





coratissimā, in hanc lucem feliciter fuerat  
ipſi contigit XXIV. Auguſti, Anni Æ. C. M.  
animum ſuum hiſ pater prodidit verbis: In  
lo hocce, ab infantia emicuit ſingularis, Jeſo  
leſcere & excrēſcere clementer ſinat. Conji  
honestiſſimiſ, Paterno B. HENRICO LI  
NO; civi Hervordiensi primario, Matern  
HARDO HAHNEN, hujus urbiſ Patricio  
mo; Aviis leſtissimiſ, paternæ B. ANNÆ  
maternæ B. ELISABETHÆ Klingen.  
moderatoribus Pereximiis; Profefloribus  
miſ; Collegis, cum quibus in vineā Domi  
ter laboravit, devoutiſſimiſ; Auditoribus,  
pavit, pientiſſimiſ; Conjugipriori ac libe  
misit, ſuaviſſimiſ; tot cognatiſ atque ami  
bus familiariter vixit, integerrimiſ; uni  
rum coetibus fulgidiſſimiſ. Conjunctus  
eft, ac perjucundo ipſorum fruitur collo  
Angelorum conſortium translatus, in coe  
cademiā ſapiențe reconditioniſ fontib  
cotidiē, ac pœana rediſivo Christo ſine  
Vos, ô mæſtiſſimi, iſtas delicias, tantam  
rem viro invidebitis; Cæterum nos pauci  
hujuscemodi commentationibus fieri  
vi, Vitæ curri culum B. DEFVNCTI  
Cum B. Dn. JOACHIMVS LINDEMAI  
ma ſtudiorum fundamenta, ſine quibus

